18.34

Domus Emeritor. sacerd. dioec. Carmen Illustrissimo Rmo D. Josepho Olechowski dicatum.

CARMEN

ILUSTRISSIMO REVERENDISSIMO DOMINO

JOSEPHO

OLECHOWSKI,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPO URANOPOLITANO, SUFFRAGANEO CRACOVIENSI RECENS CONSECRATO, ARCHIDIACONO CATHEDRALI, JUDICI GENERALI CURIÆ

DICATUM.

A DEDITISSIMA, ET INSIGNIBUS EJUS BENEFICIIS IPSI DEVINCTISSIMA

DOMO EMERITORUM SACERDOTUM NUPER SOC. JESU.

IN PERENNE GRATI ANIMI PRO EJUSDEM PATERNA BENEVOLENTIA

MONIMENTUM.

ANNO ÆRÆ VULGARIS MDCCLXXXVI.

MENSE AUGUSTO.

CRACOVIÆ

Typis Scholæ Principis Regni Universitatis Cracoviensis.

Principe in AEde sacra, ſancti Flos blande Senatûs;
Quo nitet urbs celebris Carodunum, ubi Regia quondam.
Gloria Vavelli: decus immortale Tuorum:
Et noster communis Amor; ſvaviſsime Præſul:
TE JOSEPHE canam, quamvis virtutibus impar,
Promeritiſque tuis minimè par, rite canendis
Sit mea Muſa rudis: quantumlibet arida vena
Deficiat, vireſque ægrè subsistere possint;
TE cantabo tamen. TE qui celebrare recusat;
Virtuti juſtos deferre recusat honores.
Carmina, si meritis haud conſentanea fundam;
Conatum, & ſtudium non aſpernabere noſtrum,
Seraque poſteritas ad ſe tranſmiſsa probabit
Nomen, & acta Viri, quaquâ depicta Minervâ
TE porro celebrabo metro, linguaque Latina;
Latius ut pateat gestorum fama Tuorum:
Nec ſe ſe Patriis tantummodo finibus arctet.
Dotibus eximiis noſtro jam notior orbi es,
Et meritis, factiſque tuis, quàm ut TE celebrando,
Illustrem quisquam reddat magis: amplius acta.

TE tua commendant, quàm Patria carmina possint.
Nec tua, Majorum in gestis, præconia quæram:
Hauserit hæc Scriptorum incuria, jure dolenda:
Eximiisque Viris non æqua sat hauserit ætas.
Nil opus ad veterum monumenta recurrere; tanta
Cum laudum seges objiciat se sponte Tuarum.
TU tua non numeras, quæ Tu non gesseris Ipse:
Sed nec ego deferre Patrum præconia, Natis
Censuerim; nisi commendent hos propria facta.
Languidius fulgent aliena luce planetæ,
Quam nisi perpetuò princeps affuderit astrum,
Nativis tenebris simul involvantur, oportet.
Hoc decus est Solis, proprio quod lumine fulgens
Illustret terram, majoresque atque minores
Assidua pergat perfundere luce planetas.
Haec tua maxima laus, propria quod luce coruscans,
TE fulgore tuo insinues: Majoribus unus,
Quàm TIBI Majores, majus jubar ipse profundens.
Quae Natura Parens, multis partita seorsim est,
Hæc largâ, congesta, manu TE fudit in unum.
Indole cumprimis dotavit ad omnia prompta.
Ingenio summo instruxit: mentem indidit altam:
Consilii magni plenam, plenamque vigoris,

At-

Atque ad ſumma animum peragenda negotia firmum.
Talem, verò Animam divino munere nactus,
Quot diſciplinis, quibus artibus uſque poliſti?
Auctibus immenſis nec porro absolvere cessas.
Mirum eſt; TE plures linguas, arteſque politas,
Non alio ferme, quàm TE didiciſse Magiſtro:
Sic didiciſse tamen; magnos æquare Magiſtros;
Ut meritò valeas, quinimo relinquere post TE:
Sed mirabilius, tanta integritate poliſse
His animum; ut pulchro ſociâris fœdere bina hæc;
Quæ rari omnino ſcitè componere norunt:
Doctrinæ ſtudium ſolidæ probitatis amori.
Hæc nomen peperêre TIBI, peperêre favorem:
Devinxère animos cunctorum: his gratiam iniſti
Principum, & hos meritus, quibus es decoratus, Honores.
Virtutem, ingeniumque ſagax: dotes tot & artes
Viderat hæc; altæ quæ Mentis acumine cuncta
Luſtrat, & humanas res æquo pondere librat
Sancta Themis, meritisque pares decernit honores:
Viderat, & ſecum reputans ita Diva locuta eſt:
Ergone tot dotes, decora, ornamenta jacere
JOSEPHI patiar ſine munere, gloria, honore?
Vir ſummus pretio: magno Reſpublica fructu
Frau-

Fraudetur; Themidem neque tanta injuria tangat?
Hincque impune meum nomen laceretur, honoſque?
Non ita: ſed TE juſtus honor JOSEPHE manebit.
Nec TU per Themidem ſacra o Reſpublica, fructu,
Officiis, pretioque Viri fraudabere tanti.
Contentus ſed enim ſolida virtute, DEOque;
Splendida JOSEPHUS non munia percupit ulla?
Dignior his igitur, tantoque his aptior Ille;
Quo magis à faſtu, mage ab ambitione remotus.
Nec quidnam velit Ipſe, aſt quid mereatur, oportet
Diſpiciam, & quidnam potius Reſpublica poſcat:
Officiique mei ratio quid denique ſpectet.
At pleroſque viros honor obſcuravit adeptus:
Cunctorum qui judicio ſunt munere viſi
Digni; ſi nullo dignati aliquando fuiſſent.
Scilicet hos; fragilis quos & non maſcula virtus
Extulit, & ſpecies dotum jactabat inanis:
Denique quos fallax vulgus, non ipsa probavi.
Stat tanto deferre Viro celſum gradum honoris:
Judice me virtus iſtuc matura requirit;
Et ſacra atque profana iſtuc Reſpublica poſcit.
Id ſanctum Themidis Numen, nomenque repoſcunt.
Finiit, atque ſuam comitem in commune vocavit
Conſilium, Divam; FIDEI quæ nomine claret: Hu-

Huic aperit quæ ſenſa ſuo cum corde, volutet:
Hiſque fere verbis caram eſt affata ſororem.
Cara Soror! pariterque ut ego, mortalibus æqua!
(Juſtitia ſiquidem, atque Fide nil ſanctius illis.)
Vir ſummus, latet in tenebris, ad maxima natus
Munera, divinîs cumulatus dotibûs unus:
Munere nullo auctus, merito fraudatus honore.
Hunc ſi negligimus, magnum Respublica Sacra
Captura eſt damnum; nec parva calumnia nostro
Nomini inuretur; tantæ ſi juſta negemus
Præmia virtuti, meritosque negamus honores.
Fixum animo eſt, ex his, ſe se quibus occulit umbris,
Inſignem probitate virum, inſignemque Minervæ
Artibus eximiis, in lucem educere Alumnum,
Ipsiusque pares meritis decernere honores.
Omnia verſavi, quo polleo acumine mentis,
Hacque mea, mecum quam geſto, bilance libravi.
Compoſui adversis rebus, rebusque ſecundis;
Ornamenta viri, decora, & probitatis amorem.
Virtutem reperi fixam radicibus altis,
Duratumque animum, caſus in utroſque paratum:
Seu Fortuna ferox telîs atrocibûs inſtet:
Seu blandimentis trahat inſidioſa voluptas.

Non

Non deflexurum tamen à virtute vel unguem.
Huicce viro tali pro virtute, indole tali:
Munus in illustri decrevi nobile, cœtu.
Tu modo ſancta Fides! hoc: quantum eſt cunque laboris,
Jungere ne renuas nobis, & cœpta ſecundes.
Sic Themis. Alma Fides dictis hæc pauca reponit.
In me nulla mora eſt: tua vota & cœpta juvabo,
Conſiliiſque tuis operam navabo libenter.
Unum Juſtitiæ, Fideique cor, unaque mens eſt.
Auſpiciis noſtris tribuuntur munia dignis:
Noſtris auſpiciis obeuntur rite. Fide atque
Juſtitia; ſacra ſtat Respublica, ſtatque profana.
Quove nitent ambæ; conſtat pulcherimus ordo,
Sanctaque Religio floret Rectoribus aucta
Scilicet his, quos pro meritis eveximus ambæ.
Quô, decrevisti dignos tanto Viro honores,
Conſilium planè probo: nil est æquius iſto.
Tu Soror! id qua perficiam ratione, doceto.
Læta Themis caram ſic deinde affata Sororem.
Arx est, Vavelli dorſum quam ſuſtinet: Aula
Hìc Regum quondam: juxta conſurgit in altum,
Magnificîs opibûs dives, ſacroque paratu
STANISLAI DIVI toto celeberrima Regno
Exuvi-

Exuviis ædes, in qua ſtant ordine pulchro,
Illustres aræ, Regumque auguſta ſepulchra.
Juxta ædem, duplex turris ſe tollit in auras,
Utraque deſpectat campos, qua Viſtula curſum
Dirigit, atque ipſis muris allabitur arcis.
Altera Campano, molis vaſtæ, ære ſuperbit,
Quod dum prægrandi pulſatur verbere, circum
Horrificìt latè mugitibûs aura cietur.
Altera ſublimis, multoque ſuperbior: aſtris,
Verticis aurati criſtas immittere geſtit,
Fulgentemque globum capitis, confundere ſtellis.
Emicat in ſacra ſedes Antiſtitis æde,
Quam torquatorum viſenda ſedilia Patrum
Antiquæ, doctæque manûs opus; undique cingunt.
Ad lævum latus, exsurgit conclave verendum
Conſeſsu Patrum; decorat quos aurea torques.
Conventus hìc Præſul agit; ſuffragia Patres
Hìc ſua ferre ſolent, gravior cum cauſa requirit.
Hic, quos ipſe probat Princeps, quos cenſet ob aureâm
Indolem, & eximiæ, dignos, probitatis honorem,
In ſacri, jubet album adſcribi rite Senatûs.
Hoc ego deſignari in cætu munia pulchra,
Per quæ, vir tantus ſenſim tollatur in altum.

B Pon-

Pontificale pedum donec gerat, atque tiaram:
Hîsque sacris signis inclareat amplius orbi.
Unde suis meritis & præmia colligat Ipse,
Et sacra fœcundos referat Respublica fructus:
Et nostrum digno nomen celebretur honore.
Quem cœtum memoro, regit alto sanguine cretus
Antistes: Princeps famâ super æthera notus: *
Hunc variæ modò solicitum Patriæque, gregisque
Discruciant curæ, suffragatoris egentem.
I Soror: & quo præcellis candoris honore,
Pollicitare Viro, quod percupit ipse levamen:
Si JOSEPHI operâ non dedignabitur uti.
At simul enarra, tibi perspectissima fata;
Quæ capiti impendent Antistitis illius, & quæ
Exercendæ ejus virtuti scena paretur:
Adversusque vices funestæ sortis obarma.
Ultra prolixo non te sermone morabor;
Quid pro JOSEPHO, vel qua ratione loquaris.
Ornamenta viri nôsti. Tua candida, simplex,
Et sine fuco omni verax oratio; paucis
Expromet speciemque viri, vivoque colore
Virtutes pinget. Princeps facilem dabit aurem,

Et

---

* Celsissimus Dux Severiæ CAJETANUS, IGNATIUS SOŁTYK.

Et credet; (Fidei quis enim fidem habere recuset?)
Illectusque viri meritis accerset in aulam.
Hæc Themis. Alma Fides iter, & mandata capessit,
Seque viâ rectâ confert in Principis aulam:
Tempore, quo bello civili cuncta flagrabant:
Schismateque atroci prope tota Polonia scissa;
Ibat in exitium, jam jam ruitura; ruentem,
Nî REX AUGUSTUS, ceu robustissimus Atlas,
Subjectis humeris, quaqua virtute valebat,
Fulsisset miseram, inque gradu statuisset amatam,
Quo licuit, Patriam; non uno vulnere fessam,
Fortè volutabat magnas sub pectore curas
Conclavi clausus, strepituque remotus ab omni
Tunc Princeps: Patriæque vices miseratus acerbas
Lugebat, reputans sibi qui incubuere labores,
Ex Patriæ turbis, & solicitudine ovilis:
Tristiaque ex imo suspiria pectore ducens,
In sua vota DEUM, DIVOS, DIVASque vocabat,
Hasque gemens gravius fundebat ab ore querelas:
Heu quibûs ærumnîs crucior, quibûs æstibûs uror!
Inde Senatoris munus, Pastoris at inde:
Promptum utrumque olim, nunc intolerabile pene;
Exercent miserum, dirîsque assultibûs urgent:

O! mihi ſi qua virum felix ſors offerat aureûm,
Qui magno ingenio valeat, qui polleat unà
Acri judicio, qui mentis acumine promptus:
Conſiliiſque celer, promptus linguaque, manuque;
Mî tot in angustis, quibûs urgeor undique rebus;
Auxilio præſens adſit, certumque levamen
Uſque laboranti, & vaſta ſub mole gementi
Adferat, atque oneris partem detorqueat in ſe!
Talia dum verſat Princeps: conclave repente
Intremuit, totumque effulſit luce coruſca.
Adstitit alma Fides oculos dejecta modestos,
Atque ſalutato ſic cæpit Principe fari:
Quam coram ſpectas adſtantem maxime Princeps:
Sum ſincera Fides, & neſcia fallere virtus:
Juſtitiæ germana ſoror, fidiſsima cuſtos
Promiſsi: fuci, fraudis, falſique, dolique
Expers. Hîs monstrîs me non inimicior ullus.
Pro pietate tua, Themidis qua jura tueris,
Me tibi ſubſidio juſsit Soror alma venire.
Qualem mente virum pinxisti maxime Princeps:
Si cupis; auxilio venturum nuntio. Geſtat
Is Vir OLECHOVII nequaquam ignobile nomen:
Iſque ſimul pulchro JOSEPHI nomine gaudet.

Multa

Multa viro in Superos pietas: communis in omnes
Non simulatus amor, vacuusque cupidine lucri,
Ingenii ad cunctas artes innata facultas;
Judicii robur, rata perspicientia veri:
Copia doctrinæ minimè tot dotibus impar,
Et disciplinis probitas par, parque modestia,
Et placidi mores; qui demulcere vel hostem:
Conciliare feros, cunctos sibi jungere possint.
Justitiæ studium; rectusque in publica sensus.
Haud fuco, decus ipse suis virtutibus addit:
Haudque supercilio pondus tot dotibus affert.
Candidus Ille, Tuique instar sincerus, apertus,
Fallere qui nullum velit Ipse; nec ullus at Ipsum,
Quantumcunque dolis valeat, deludere possit:
Qualem nempe tuum munus, quo fungeris, optat.
Quem commendo, viri, rudis hæc illius imago est:
Ipse magis graphica tibi semet imagine pinget;
Re, factisque suis, & dexteritate secunda:
Ille nec æquabit modo spes, ingentia vincet
Vota tua , ostendetque Fidem non vana locutam.
Cætera, magnum operæ pretium quanquam afferet usus,
Et studium, quem laudo viri, magnumque levamen,
Solamenque Tibi, Te Te tamen optime Princeps;
Numi-

Numinis æterno quis ab ordine ſolvere poſsit?
Dicam, (namque Fidem verum celare nefas eſt:
Fas durare virum contra infortunia dira)
O! Princeps alia ex aliis in fata vocaris!
Oſtendent ſiquidem Superi tantùm Tibi; qualem
Sortiri poſsent, tua cuncta negotia curſum,
Adjutore viro, quem commendavimus uſque.
Sed citò dirumpet filum fera Parca ſecundum.
Sic viſum Superis. Rebus non fracta ſecundis;
Adverſis tua tentanda eſt adamantina virtus.
Dura tuæ nimiùm probitati ſcena paratur.
Patria cara Tibi plures linquenda per annos,
Grexque relinquendus, longinquas exul in oras
Ibis, at hic nondum finis, non meta malorum:
Ærumnæ multæ, longa infortunia reſtant.
Is, qui Te à teneris tanto dignatur amore:
Per longos ſtatuit DEUS exercere labores.
At ne cede gravi, longo ne cede dolori.
Si gravis est, brevis eſt: levis eſt, ſi longior æquo.
Ferre vices varias, hominum eſt ſors: fortiter autem
Ferre, viri magni decus eſt, & maxima virtus.
Ergo age magnanimi vim pectoris, objice duris,
Corque, animumque tuum virtute adamantina obarma;
Et

Et quæcunque DEO de TE decernere viſum;
Ultro, alacriſque, volenſque, lubensque amplectere ſancta
Conſilia, & nutus ejus. Ne quæſo coactum
Reſtantemque trahant, ducant ſed ſponte ſequentem;
Quo te cunque ferent. Certè immortalia ducent
Ad decora, æternæque ad præmia ſumma ſalutis.
Interea donec tempeſtas ingruat atrox,
Quem commendo, voca virum, & his, quibus artibus Ipſe,
Omnibus excellis; tinge, imbue, finge: ſequetur
Artifices ductus ſacilis, nutusque Magiſtri,
Inque tui miros finget ſe muneris uſus.
Ipſi ita formato linquas abiturus ovile.
Cui, virtute gravem mage, quam vergentibus annis
Omnibus ornatum FRANCISCUM dotibus adde:
Qui Patarœ proprius, Tibi Suffraganeus audit
Antiſtes * (quondam Hic JOSEPHO munus & Ipſe
Pontificale ſuum, tanta quod laude tot annos
Exercet; tradet, feſſus gravioribus annis)
Hic Vir, hic est, ab Avis amplum qui nomen adeptus,
Amplius ipſe ſuis meritis, majuſque paravit.
Illuſtri domui decus immortale relinquens.
Nota loquor. Nôſti natas ad maxima dotes
Munia;

* Illustriſsimus Reverendiſsimus D. FRANCISCUS POTKANSKI.

Munia; cum ſplendore, Magiſtratuſque gerendos.
Ille nec unâ operâ tales, tantaſque probavit.
Recte facta Viri vel me reticente loquuntur
Hæc monumenta, quibus bona pars in principe templo
Ipſius auſpiciis, ſumptuque decora coruſcat.
Hiſce viris geminis munus Paſtoris, onuſque,
Te quod in his turbis injuſto pondere vexat,
Divide: ſervabunt ſalvum, incolumemque ſuiſmet
Conſiliis, ſtudiiſque gregem communiter ambo.
Sartas, & tectas præſtabunt res tibi cunctas.
Quin etiam poſtquam belli deſederit æſtus;
Attollent ſublime caput, Rectoribus iſtis,
Reſque, pecusque tuum, lætumque vigebit ovile,
Ipſeque in adverſis, quibus afflictabere, rebus,
Tali ex ſucceſsu, quodam complebere gaudio.
Aut ſaltem capies hinc non mediocre levamen.
Cætera, magnum animum, ſimilemque Heroibus, opto:
Dent Superi o Princeps Tibi! & adſint dura ferenti.
Hæc effata Fides, ſcitari multa volentem
Principem, & ardentem cognoſcere plenius omnia;
Deſerit, ac tenues ſeſe ſubducit in auras.
At Princeps gaudens lætô, ſed mæſtus acerbô
Nuntiô: humi poſitis genibûs mox Numen adorat;
Hæc-

Hæcque ſuo lachrymans fundit de pectore vota:
MAGNE DEUS! rebus, qui me cumulando ſecundis
Immeritum famulum, tam ſuaviter uſque beâſti:
Immenſumque tuum mihi teſtificatus amorem es:
Æquum eſt, ut patiendo meum tibi teſter & ipſe:
Uſque Tui eſt ſuſpectus amor; quoad igne probetur
Adverſæ ſortis: flamma hac ſe comprobat ille.
In quæcunque jubes ire infortunia, pergam!
Exilium longum, cumque hoc incommoda mille:
Jacturam famæ, diuturni tædia morbi;
Et quæcunque Tibi de me decernere viſum;
Apponam lucro: patiar, Tu ſuffice vires!
O DEUS! o Bonitas! DEUS o meus! o meus ignis!
Tu mihi, Tu cœlum, Tu lumen, & una voluptas:
Tu mihi vita, ſalus: Tu vitæ ſumma beatæ:
Tu mihi (complectar verbo) DEUS; omnia es unus!
Salvâ animâ, nihil est, miſerum quod reddere poſſit:
Hac pereunte, quid est; quo quis queat eſſe beatus?
Dum Tibi ego placeam, dumque obſequar: alea jacta eſt,
Stat, duras utcunque vices, ſtat volvere caſus.
Hac prece confirmato animo, mærore levato,
Continuo Princeps, quem commendaverat ante
Alma Fides cum laude virum, propriam accit in aulam.

 Inge-

Ingeniumque viri tentat, pertentat & artes.
Ardua proponit ſolvenda problemata: cæcis
Pleraque demandat contorta negotia nodis.
Atque vel ingenium laſsare valentia ſolers,
Oedipe acute tuum, JOSEPHO ænigmata narrat.
Herculeis nodis minimè conterritus; acri
Ingenio vir, consilioque celerrimus; omnes
Principis applausu, nodos mira arte retexit:
Proposita apposite solvit problemata: ſcitè
Diſsipat obſcuras cujuſque ænigmatis umbras.
Ac ubi vix præ lætitia foret alter apud ſe,
Se circumſpiceret, ſe miraretur, amaret;
Ille, velut plauſu nil dignum, & laude patraſset;
Lætitia minimè geſtit, ſibi non canit intus:
Non ſe se jactat, non ambitioſius effert,
Quin dum pro meritis Dux illum laudibus ornat,
Nonnihil ingenuo ſuffunditur imò rubore.
His CAIETANUS Princeps illectus, in Albun
Rite Sacerdotum majorum ſcribit, & almi,
Quo Vavellus ovat, partem jubet eſse Senatûs
JOSEPHUM noſtrum, fulgenteque torque coronat.
Nec legiſse virum fuerat ſatis; Ipſe ſuimet
Muneris, atque oneris partem committit, ut iſthac
Laxa-

Laxaret ratione, Viri virtutibus amplum,
Quem ſummis poſset meritis decurrere campum.
Nec vero ſua ſpes illum concepta fefellit.
Nam velut Eois, ubi ſe ſol tollit ab undis.
Continuo partem fundit jubar aureum in omnem,
Restituitque ſuum rebus decus, atque colorem:
Sic ubi, privatæ ex vitæ, caput extulit umbris;
Virtuti ſolidæ, JOSEPH, Sapientia juncta,
Luminis effudit radios, lucemque coruſcam:
Et decus, & ſpeciem ſacris dedit atque vigorem,
Quâ latè Craci ſe se Provincia fundit.
Viderat hæc lætus Princeps, gaudensque virum ſe
Muneribus legiſse parem majoribus; intus
Hæc apud ipſe animum tacituſque, palamque profatur:
Macte Vir ingenio tali, virtuteque macte,
Talem Te, tantumque mihi paulo ante canebat
Alma Fides: vates certiſsima nuntia veri.
Tu mihi, tu poſthac Pharoni quod fuit olim;
Ille vetus JOSEPH: Tu nomine, reque futurus:
Implebis pulchrè menſuram nominis almi.
Tu domui præeris, caulam curabis & aulam.
Pabula tu noſtris gregibus, Paſtoribus idem
Jura dabis, noſtrumque reges, quo claudimur, orbem.

 Talia

Talia Pontificis pertentant gaudia pectus.
Tristior interea species, dum nocte quiescit,
Principis objicitur menti. Sibi cernere visus
Unguibus hamatis aquilam, rostroque minacem;
Quæ Gentilitiæ volucri sacra signa tenenti;
Ex improviso rapuit, celerique volatu
Subduxit se cum spoliis Aquilonis in oras.
Insolita somni turbatus imagine Præsul.
Evigilat, visumque suo cum corde revolvit:
Quid notet, expendit: nec conjectura fefellit
Principis ingenium solers; portendere discit
Exilium, quod sancta Fides prædixerat ante.
Ut tamen exquirat, quæ stet sententia menti
JOSEPHI: vocat hunc: ipsi sua visa renarrat.
Terruit in somnis (inquit) me tristis imago.
Visa meam Gentilitiam, peregrina volucris
Invasisse aquilam; mitramque, pedumque tenentem:
Unguibus & rostro rapuisse insignia sacra, ac
Versus Hyperboreum revolâsse celerrima cælum.
Quid sibi visum istud velit, obscurè innuit ante
Alma Fides: at tu, quæso, mihi planius edic.
Quippe, evolvendi, mira arte ænigmata præstas.
Ah Princeps! me fatorum ne coge (reponit
JOSE-

JOSEPHUS mærens) luctum enarrare tuorum!
Hæc, si vel nostræ, fas avertisse, fuisset,
Impensa vitæ; jam pridem aversa fuissent.
Ast aliter visum Superis! dulcissime Princeps:
Ibis Hyperboreas (dolor, ah dolor ora revincit)
Longinquas exul: procul abduceris in oras!
Huc civilis, aget tempestas te fera, belli.
Ne desponde animum tamen o fortissime Princeps:
Pulchrius adversis virtus excocta refulget;
Quàm niteat rebus quantumlibet aucta secundis.
Fortunam æquâsti virtutibus usque secundam,
Quin superâsti, & in hac magnum te jure probâsti.
Restat in adversa, majorem te canat orbis.
CAIETANUS ad hæc altè suspirat, & inquit:
Quandoquidem certum est, nos hæc in fata vocari.
Inclyte consilio Vir tu, & meus alter Achates;
FRANCISCUS Pataræ Antistes, communiter ambo,
Vos mihi dilectum magis ipso lumine vitæ,
Custodite gregem sanctè, servateque salvum.
Cætera, meque, gregemque & vos commendo potenti
Numinis auxilio: sortem vobis meliorem
A Superis: mihi, vestri animum similem opto. Valete.
Horridus interea, civilia pectora, belli

Incen-

Incendit flammis, in mutua funera, Mavors.
Corripiunt cives data non his usibus arma:
Inque suæ Patriæ discordes viscera vertunt.
Frustra AUGUSTE doles, ad pacem adducere frustra
Corda studes, rabido belli inflammata furore.
Quos semel accendit Mars ignes, nonnisi multis
Cædibus extingui poterunt, multoque cruore.
Funestantur agri civili sanguine passim.
Præsul Hyperboreas agitur procul exul in oras.
Omnia ferali nutant concussa tumultu.
In turbis incerta fides Regique, Deoque
Fluctuat in multis: (hæc sunt contagia quippe
Propria civilis belli) communibus ergo
Curis & studiis, id agunt, unumque laborant
Antistes Pataræ, solers vir & acer JOSEPH.
Ut populum servent in Religione, fideque
AUGUSTI Regis; belli dum desinat æstus.
Huc sua cumprimis studia acria vertit uterque:
Ne qua nefanda lues Sacra Religionis avitæ
Polluat (ut fieri solet in caligine belli)
Ne qua gregem in turbis afflet contagio morum:
Neu pereant animæ, pereunt dum corpora cæde.
Turbatum populum, & studia in contraria scissum

Numi-

Numinis ad cultum, atque ad Relligionis amorem,
Regis ad obsequium; stimulis non mollibus urgent.
Placandis Superis, pietatis idonea vulgo
Officia injungunt; indicunt sacra, precesque.
Exemplo, verboque docent exposcere pacem.
Audiit è cœlo tandem pia vota, precesque
Omnipotens DEUS, & cladem miseratus acerbam;
Finibus exegit fera prœlia. Regis honori
Submittunt aliquando odium implacabile cives,
Longùm obluctantes, ponuntque ferocia corda.
Curru invecta suo, pax Regna Polona revisit.
Exul Hyperboreis revocatur Præsul ab oris.
Hîc vero enituit Regis clementia mira,
Qua reduces cives suum ad obsequiumque, fidemque
Accepit; Patriæ Tutorque, Paterque benignus.
Illam ego vix ausim rudiori attingere Musa.
Namque opus eloquio Tullî, qui tollere dignè
REX AUGUSTE tuam valeat clementiam in hostes.
Julius ut cedat tibi STANISILAE necesse est.
Hostibus ille suis magna pietate remisit
Supplicium, extorres Patriæ tellure recepit.
Pectore tu recipis placatus, & immemor omnis
Offensæ: amplecti majore videris amore,

Quam

Quam qui constantes in amore, fideque stetêre,
Proque tuæ pugnabant Majestatis honore.
Horum aliis amplos Regni concedis honores:
Invisens quosdam hospitio dignaris amico.
Scilicet hoc solidæ decus est virtutis, honosque:
Dulcius ut sapiant illi benefacta locata
Hostibus; hisque, vicem qui non testantur amoris:
Imo suis noxis pœnam meruere, probrumque.
Læta bonis pacis, Clemente Polonia læta
REGE, statum veterem, formamque resumere cœpit.
Tanta Polonorum cumulavit gaudia cælum.
Noxarum, & pœnæ pia condonatio toto
Orbe indicta: sub hoc tempus vulgatur in oris
Nostris: nempe anni redeunt solennia sacri,
Millia vicenos, quot non venêre per annos,
Et quinos: celebrem Craci glomerantur in urbem.
Undique plebs infert se se, replitque plateas,
Culparumque ardet sacra per mysteria sordes
Eluere, ac pro pace DEO persolvere grates,
Et longam Regno, Regique, sibique salutem
Supplicibus votis à Numine poscere. Cuncta
Templa calent precibus: resonant concentibus, hymnis.
Alternis vicibus suggesta, & pulpita, ubique

Sacra

Sacra ſonant, populumque piis hortatibus urgent.
Pabula doctrinæ Chriſti præbentur adultis,
Formanturque rudimentis ætate minores,
Judicibusque ſacris exponunt crimina cuncti,
Luſtratus populus divina paſcitur eſca.
Mortales; ſexûs, ætatis, & ordinis omnis;
Ordinibus longis celeberrima templa reviſunt.
Concurſant, ſibique occurſant ſacra agmina paſsim.
Certare inter ſe pietatis honore videres.
Confertis venit agminibus miſerabile vulgus,
Præſidium quærens, paupertatique levamen:
Veſtibus, hoſpitiis, potuque, ciboque fovetur,
Et ſtipe non parca, larga à pietate levatur.
Undique divini cultus pulcherrimus ordo
Emicat, & ſolidæ pietatis imago refulget.
Ordinis Auctores, moderatoresque, ducesque;
JOSEPHUS cum FRANCISCO par nobile Fratrum.
Ille, pii cultus qua ſint ratione gerenda
Munera, præſcribit: clero, populoque dat aptas,
Quas pietas, quas ipſa daret prudentia leges.
Ille Sacerdotum diſponit rite labores.
Hic probat, atque operis dux ipſemet impiger, amplum
Aggreditur meſsis campum; conferta perungit

Chrismate sacrato populorum millia: longo
Fessa labore manus, non attamen impigra cessat.
Addit se comitem, virtutibus inclytus, Heros
CHRISTOPHORUS Præsul: * nostris regionibus in-
Nomen promeritis, & avitæ sanguine stirpis. (gens
Vinxit Apollo Virum lauris, & Roma tiara
Plocensi nuper cinxit: Rex noster honores,
Et merita Herois; geminis insignibus auxit:
Queis geminus nostro in Regno nitet ordo virorum.
Strenuus ergo vir hic, FRANCISCO messis opimæ
Undique vallato maturis frugibus; addit
Se socium, vastumque simul metit æmulus agrum:
Millia & ipse oleo sancto bene multa perungit:
Interiora animos hominum ad certamina firmans:
Quæ nobis, ineunda feris sunt cum hostibus orci.
Tantos progressus, PRINCEPS, in munere spectans
Numinis æterni; quibus amplificare studebat
Cultum JOSEPHUS: spectans studium insuper acre
Ad majora viri molimina, factaque promptum:
Ac secum reputans fractas in corpore vires;
In JOSEPHI humeros, prudens, onus omne refundit;
AEgra valetudo quod eum vix ferre sinebat.

Tum

* Celsissimus Princeps CHRISTOPHORUS SZEMBEK Plocensis Antistes.

Tum veluti Phœbus, medium cum trajicit orbem
Cœlorum, toto fundit se lumine terris;
Cura Diœcesis IOSEPHO sic ubi tota
Commendata fuit; patuit prudentia tantæ
Par præfecturæ, quin nec majoribus impar.
Agnoscunt talem clerus, populusque, probantque;
Atque sibi gaudent, illi gratantur honorem.
Ipse Diœcesim sapientibus instruit omnem
Legibus, & clerum monitis præsentibus armat.
Sicubi forte fuit pia disciplina per arma,
Perque vices tempestatis collapsa; reducit,
Idque agit; ut priscum mores revocentur in aurum.
Denique commissum latæ regionis ovile,
Dexteritate regit mira, eventuque secundo;
Omnem, ut in officio hoc, ætatem egisse putares.
Dum tamen hæc curat, sese non deserit unà.
Sæpe viros rapiunt ita splendida munia totos;
In Superos, exercendæ pietatis, ut omnem
Pene facultatem, tempusque, locumque querantur
Ereptum penitus; tantoque hæc parcius implent;
Quæ propriæ mentis culturam munia spectant:
Quo magis effundunt totos ad publica sese.
Non secus, atque animus minime par esset utrisque,

Idque ipsi accideret, quod diviso accidit, alvéos
In geminos fluvio: quorum quantum alter abundat,
Atque redundat aquis; tantundem deficit alter.
Nolo virum, gravibus qui quantumcunque negotiis,
Sic sese immergit; mergatur ut omnis ab iisdem.
Hunc laudare velim, quisquis supereminet undis
Quamlibet immensis curarum muneris alti:
Ipsarumque, suique potens, atque arbiter extat:
Resque sibi, non se rebus submittere novit.
Atque hoc IOSEPHI est decus indelebile: laudum
Ipsius hoc caput est: hæc commendatio summa.
Quod curas inter tot, totque negotia; salvum,
Incolumemque suæ servet pietatis honorem.
Dumque aliis prodesse omni ratione laborat;
Virtutis, damnum ipse, suæ non accipit ullum.
Sed veluti totum, cum sol illuminat orbem,
Luminis ipse sui jacturam non facit ullam.
    Sic dum IOSEPHUS summa integritate gubernat,
Laudeque, commissos ægro pro Principe fines:
Totusque incumbit: partem se vertit in omnem:
Ne qua forte sibi desit ratione, gregique:
Datque operam morum ne disciplina remittat;
Neu pietas, neu Relligio ferat inclyta damnum;

Dum

Dum clerus, populusque ovat, acclamatque regenti:
Et se felicem tali Rectore susurrat:
Jamque ipsi plerique pedum, mitramque canebant.
Isque ita Pontificis numeros impleverat omnes;
Sacra characteris nota Pontificalis ut una
Defuerit, dignusque gradu sit creditus isthoc:
Cùm subito lætis successibus invidus orcus
Concitat ingentes turbas, infertque tumultum.

Unam Rex Erebi dirarum e sorte sororum
Advocat ad sese, promptam furialibus ausis:
Ira, odiumque, dolusque, & dira calumnia cordi
Sunt monstro huic: artes in promptu mille nocendi,
Dissidii imprimis spargendi semina; mira
Calliditas, pacis turbandæ industria mira.
Trux facies furiæ: pro crinibus, anguibus horret
Cæsaries: manus una facem, tenet altera virus.
Inficit hoc linguas hominum, face corda perurit.
Ne tamen horribilis percellat imagine larvæ
Mortales, novit centum simulare figuras,
Sexcentisque modis celare facem, atque venenum:
Pronius incautis quo toxica nempe propinet. (da

Hanc ubi coram alacrem, promptamque ad jussa sequen-
Conspexit Pluton; incendere talibus orsus:

Jam

Jam ſatis exitii, ſtragis ſatis atque ruinæ
Nomen OLECHOVIUM, quo non infeſtius ullum,
Attulit uſque Erebo: nec adhuc mala cudere ceſsat:
Et perget porro, ſi non obſiſtimus ultra.
Stat ſtragem ulciſci, clademque rependere clade.
Tu ſoror, una magis reliquis, mihi idonea viſa es,
Ad perpetrandum facinus, quod mente peregi.
Vade inſtructa tuis, quibus es doctiſsima, technis;
Vipereos inſpira animos in viſcera plebis,
Atque ab OLECHOVIO mentes averte fideles.
Carpe viri nomen: maledictis obrue famam,
Et probris onera, confictaque crimina jacta.
Hoc poſtquam vulgo virus afflâris, eodem
Continuo vulgi ſimilem omnem, falle veneno.
Denique permiſce, confundeque cuncta tumultu.
Sic ubi turbaris, plebique afflaveris iras,
Multorumque animos à noſtro averteris hoſte;
Protinus ipſe adero, delecto milite ſeptus,
Aggrediarque virum vindex non ſegnis, & ultor.
Dejiciamque gradu, nudabo potentibus armis,
Tot quibus eripuit ſpolia & cladem intulit orco.
    Hæc ubi dicta dedit Pluton: cita paret Erynnis,
Ardentemque facem jactans, feſtinat in urbem

Craci:

Craci: serpentes humeris jactantur utrisque:
Mox falsis furibunda domos rumoribus implet:
Dira in JOSEPHUM passim convicia fundit,
Confictisque movet probris odia aspera plebis.
Objicit ingrati sceleratum pectoris ausum,
In Majestatem venerandam Principis, inque
Subjectum populum sibi: tanquam commoda JOSEPH
Invidus avertat, fraudet miserabile vulgus;
Munificam in plebem dextram male Principis arctans.
Gliscit rumor atrox, ea fama vagatur in urbe.
Plebs accensa fremit, quæ non ratione, sed uno
Pene furore regi, vecors consvevit amatque.
Quid vero JOSEPH tot morsus inter & ictus?
Tela venenatæ linguæ corde excipit? imo
Excutit. Haud mea sunt, inquit: non tangimur euge!
Non nos; verum homines sceleratos hæc probra lædunt.
Sic ait, & stolidæ temnit convicia linguæ.
Esse studet justus, si non habeatur: iniquos
Fert æquo sensus animo, linguasque malignas.
At Sanctæ Fidei fama ut pervenit in aures;
Famam JOSEPHI maculis, probrisque notari.
Ingemuit, Themidisque sacræ properavit ad ædes:
Atque dolens comitem verbis compellat amicis:

Ergo

Ergo tuo non ſuccuris ſoror alma clienti?
En impune viri nomen laceratur amaris
Morſibus: intentant inſonti crimina falſa.
Tartareis emiſsa ſoror de ſedibus una,
Urbem concurſans, furialibus ignibus urit
Pectora proclivis furioſos plebis ad auſus:
Imbuit & faciles in foeda opprobria linguas.
Incenſum ardeſcit vulgus: furor, iraque vanas
Præcipitat mentes, linguaſque in probra reſolvit:
Inſontem IOSEPHUM infanda calumnia vexat.
Te tamen hæc atrox nequaquam injuria tangit.
Urit me ſed enim, & tantum non enecat ægram.
Quin hoc pro ſtudio, juſtis quo præmia donas,
Atque injuſtitias arces ab amantibus, æquum;
Infanda à noſtro IOSEPHO probra propulſas?
Huic tamen, ut memini, Te Pontificale daturam
Pollicitata pedum es: meque hæc promiſsa referre
Juſsiſti, dum mittebas in Principis aulam.
Sic ſtas promiſsis? quæ te ſententia vertit?
Ferret opem CAIETANUS, ſed vis mala morbi,
Quo conflictatur, ſuccurrere non ſinit ægrum.
Tu proin cara ſoror; ſuccurre indigna ferenti.
Illi Sancta Themis ſubridens talia reddit:

Ne

Ne te ſolicitam, vanus male torqueat angor.
Nil ope noſtra; opus eſt; ſoror o ſuaviſsima, ſurget
Amplior hinc ſurget IOSEPHO gloria, lauſque;
Omnibus ex illis, quam ſurgat honoribus, ambæ
Communi ſtudio, quos procuravimus uſque.
Est PRINCEPS MICHAEL; celeberrimus omnibus unus
Dotibus, humanæ quæ ſunt faſtigia ſortis.
AUGUSTI REGIS Germanus, & Ipſe Sacrorum
REX; latè Regnum quà panditur omne Polonum.
Juſtitiæ columen, ſpirans probitatis imago:
Rex quoque Muſarum, noſtrum quem ſuſpicit ævum;
Et ventura canent, ceciniſsent ſæcula priſca.
Js pro juſtitiæ ſummo quo flagrat amore:
Proque Viri meritis, cujus decora æſtimat alta;
Comprimet inſanos motus, linguaſque protervas,
Præcipitemque dabit furiam in Plutonia regna;
Quæ tantas turbas exciverat, atque tumultus:
Reſtituetque decus IOSEPH virtutibus æquum,
Præſulis imo novis augebit honoribus olim:
Id, quod ego ſtatui, tu promiſiſse renarras.
    Principis, hæc inter, MICHAELIS rumor in aures
Advolat: infeſtis agitari motibus urbem
Craci: IOSEPHUM pacem, rectumque tuentem;

Per linguas traduci hominum, probrisque lacessi.
Ergo laboranti Vir servantissimus æqui,
JOSEPHO MICHAEL properat succurrere Princeps:
Insontis famam defendit, & acta tuetur.
Judicio probat excelso, quin laudibus ornat.
Improbat insulsos motus vulgi, atque furores,
Omnia miscentem furiam deturbat in orcum.
Nec laudâsse sat est; in cura firmat ovilis.
Perge, inquit, JOSEPHE: tuo perfungere ritu,
Munere; quod CAJETANUS Tibi credidit olim:
Credidit, & tempus laudavit in omne, probavit.
Nunc quoque si salvus foret; allaudaret, amaret.
Ilicet extinctus plebis furor omnis, & alta
Amplius effulsit pulsa caligine virtus.
    Interea Pataræ Antistes, gravioribus annis
Fessus: Pontificis relevari pondere poscit;
Quod plus tricenos, gessit cum laude, per annos,
Et sibi, JOSEPHUS Successor detur ut, orat.
Vota probat MICHAEL Princeps, & vota secundat
Roma, Caput Mundi: Summus REX Ipse Sacrorum
Princeps Pontificum, PIUS, isthoc nomine, Sextus,
JOSEPHUM, gaudens Antistitis ornat honore.
    Læta impertito, quod designavit ab ævo

Munere

Munere Pontificis, caro Themis alma Clienti
Ob decora alta Viri: gaudens cœlumque, ſolumque
Communes vocat in plauſus, & gaudia ſecum:
Nympharum, Dryadumque choros, ut rite ſecundent
Gaudia cum plauſu: Virtutum convocat omne
Agmen: & imprimis Chloris, quæ præſidet hortis,
Lætitiæ venit in partem, frontem explicat, atque
Quidquid honoris habet, quidquid ver afflat odoris,
Quidquid habet decoris, grati quidcunque coloris,
Huc largis manibus confert: effundit amœnas
Veris opes: proni Zephyri conatibus afflant:
Purpureos, & candidulos, & verſicolores,
Auratosque ſinus properant evolvere florum,
Et blandis latè perfundere odoribus auram.
Adſunt & Dryades Floræ, ſua dona paranti.
Puniceas fert illa roſas, fert altera canas,
Hæc ſuaves violas, candentia congerit iſthæc
Lilia: narciſſos cyanosque aſt altera portat.
Accumulantur opes, oculorum gaudia, plenis
Corbibus, & calathis: anemone, amarantus, amellus
Funditur; & fluitant: hyacinthus, bellis, & iris,
Caltha, crocusque rubens, & pæonia impluit aris,
Muneribus Floræ decorata altaria fragrant

Pontificique novo, facturo sacra, parantur.
Contextæ mira, variis è floribus, arte
Pyramides surgunt; arcusque, trophæaque surgunt:
JOSEPHI totidem virtutum insignia pulchra:
Et jucunda, quibus mulcet Topiaria, sensus:
Artifici, constructa manu, spectacula surgunt.
    Thurea dona itidem plenis cumulantur acerris.
Uruntur detracti Arabum de cortice succi;
Pastilli, nardus, costusque, thymumque cremantur:
Idæusque styrax, & olentis germen amomi:
Quæque Palæstinis exsudant balsama ramis,
Et grati Lybicis quod agris exspirat odoris:
Quidquid odorarum lacrymarum effunditur usquam.
Aræ thure calent, blandisque vaporibus halant.
Interea incensis adstans altaribus agmen
Virtutum; ex quarum præscripto, legeque vitam
Antistes novus egit adhuc, ac ducere pergit;
Ipsius ingeminat divino carmine laudes,
Pulchraque facta canit, quibus hoc JOSEPHUS adeptus
Munus; & æternum mansurum nomen in ævum.
Pontifici Themis ipsa novo fert dona: tiaram &
Pontificale pedum, gemmis auroque coruscum.
Sancta Fides; ostro perfusam, auroque rigentem

Dat

Dat ſacram veſtem, mos eſt vocitare planetam.
Hoc Themis alma ſuum dignatur honore clientem.
At clerus, populusque ſacra confertus in æde;
Vota facit, funditque preces, pro Præſule tanto:
Immenſas pergit Superis perſolvere grates:
Uno animo gaudens, plaudens uno occinit ore:
MAGNE DEUS! novus ecce tuas Antiſtes ad aras,
Virtutum decore, atque tuo ſtat numine plenus:
Stat ſacer, addictusque tuo ſtat totus honori!
Hunc nobis, ſalvum, incolumem digneris in annos
Longævos ſervare, pia te voce precamur.
Illum oculis, caros quibus aſpicis, aſpice ab alto;
Ornatumque altis virtutibus, amplius orna:
Et cumula meritis; donis cæleſtibus auge.
Auctibus immenſis, maturum, donec in arcem
Sideream accipias vitæ Dator, atque reponas
Cæleſtes inter Proceres, ſuperumque Senatum!

MENDA			CORRIGE
Pagina 7.	℣. 8.	Horrificît	Horrificîs.
10	℣. 17.	Hîs monstrîs	His monstris
13.	℣. 10.	ſacilis	facilis
17.	℣. 18.	Pharonis	Pharaonis
27.	℣. 15.	juriæ	Furiæ

JUDICIUM CENSORIS

Carmen Epicum de laudibus Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Josephi Olechowski, recens consecrati Episcopi Uranopolitani, Suffraganei, Archidiaconi Cathedralis, Curiæ Suæ Celsitudinis Episcopalis Cracoviensis, Auditoris & Judicis Generalis, ab Illus: & A. R. Dno *Ignatio Wilczek* nuper Societatis Jesu Sacerdote, & Sæ Theologiæ Professore, Viro tam severioribus, quam humanioribus literis excultissimo, & pluribus opusculis Poeticis in lucem editis conspicuo: tersa & nitida latinitate conscriptum; & ad omnes Poeticæ artis regulas exactum; legi diligenter: & dignum omnino censeo, quod typis excudi possit. Cracoviæ 2. Julii 1786.

Adalbertus Domaszewski S.T.D.
Conc: Cath: Crac: Librorum Censor
m.pp.

I M P R I M A T U R.

Carolus Lochman J.U.D. Canonicus Coadjutor Cathedralis & Archipresbyter Cracoviensis; Curiæ Episcopalis Judex Surrogatus
m.pp.